

ACTA TRIBUNALIUM S. SEDIS

Rotae Romanae Tribunal

SENTENTIA DEFINITIVA¹

In nomine domini. Amen

IOANNE PAULO Papa II, feliciter Regnante, Pontificatus Dominationis suae anno decimo quinto, die 29 Octobris 1992, RR. PP. DD. Thomas G. DORAN, qui et Ponens, Kenneth E. BOCCAFOLA, et Daniel FALTIN, Auditores de Turno, in causa seu N..... seu M....., Nullitatis Matrimonii inter

d.nam Caim O....., die.... mensis....
1942 Q
natam et N..... domicilium habentem actricem,
in iudicio agentem per Patronum cl. advocatum rotalem A..... B..... in iudicio agentem et

d.num Titium P..... die.... mensis....
1944 apud R
.... in S..... natum itidem apud T.....
domicilium habentem conventum rite citatum;

intervenientibus et disceptantibus in causa
Rev.mo D.no E..... F....., Vinculi

¹ Cf. Prot. N.15.192. Omnia nomina, loca, tempora, singula quibus causa cognosci potest consulto mutantur ob rationes prorsus manifestas.

Defensore N.A.T. et Rev.do D.no G.....
H....., Vinculi Defensore pro hac causa specialiter nominato, hoc in tertio iurisdictionis gradu tulerunt

*sententiam definitivam*²:

1. Dominus *Titium P.*....., *vir conventus*, die ? 1944 natus, filius *I.*....., sectae cuidam protestanticae adhaerens et in illa baptizatus die ? 1961, et Domina *Caia P.*....., *mulier actrix*, die? 1942 nata, filia *J.*....., Catholica baptizata die ? 1942, matrimonium celebraverunt secundum ritum ab Ecclesia praescriptum die ? 1969. Nuptiarum tempore actrix nata erat viginti sex annos, conventus viginti quattuor.

Genitores mulieris actricis operam navabant in medicamentorum taberna, ambo tamquam pharmacopolae. Actricis mater fuit Catholica veri nominis et devota. Actrix institutione gavisa est Catholica apud religiosas alicuius instituti a Domina Nostra appellati. Post studia lycealia in scientiis politicis obtinuit in universitate gradum baccalaureatus, magistrae et doctoris in litteris humani. Viri conventi genitores, matre iam ab ortu adhaerente sectae haereticae, obtinuerant divortium quod aiunt civile; ipsi numquam placuerunt studia scholastica nec ullum umquam gradum academicum consecutus est. Actrix, priusquam conventum cognoverat, relationes amicales prosecuta erat pluribus cum viris, sed noluerat neque ad nuptias pascendas nec ad liberos generandos procedere ante finem studiorum apud universitatem.

² His vel similibus vocibus incipiunt omnes sententiae istius apostolici Tribunalis.

2. Partes inter se occurrerunt cum actrix peragebat cursum studiorum artis et historiae in Italia australi circiter anno 1966. Munere fungebatur vir conventus unius animatorum seu moderatorum eiusdem cursus. Iuvenes inierunt amicitiam quae duravit postquam ambo remeaverant in patriam, et quam renoverunt postea Parisiis. Sponsalia inter partes evenerunt mense Octobri anni 1968.

Post nuptias, parte habuerunt ne unicum quidem felicitatis annum, quandoquidem illo primo conviventiae anno surrexerunt contentiones et rixae inter eas ob mendacia sponsi et ob eiusdem incuriam vel negligentiam, cum ipse videretur et quidem saepe immemor sponsae, eam derelinquens solam domi, tardius reveniens ad domum coniugalem et alia huiusmodi. Ab anno 1975 certo vita communis devenerat difficilis, si non intolerabilis omnino, ob difficultates inter partes in re sexuali. Vita iugalis, etsi infelix, duravit usque ad annum 1977 cum, fatente actrice, vir conventus quamdam suscepisset cohabitationem cum viro homosexualitati dedito. Deinde partes iam plures separatae annos una petierunt divortium sic dictum civile, quod tandem obtinuerunt die..... mensis..... 1983 (I, 8).

3. Ad tranquillitatem animi assequendam et ad libertatem propriam recuperandam, actrix primum libellum suum supplicem praesentavit apud Tribunal primae instantiae N..... anno die 8 Octobris 1982 accusans praedictum suum matrimonium de nullitate ob incapacitatem viri conventi ad assumendas matrimonii obligationes morales et physicas (*Summ. I*, p. 3.... posthac citationes fient hoc modo: I, vel II, vel III, quibus indicabitur Summarium respectivum; dein pagina et, quatenus opus erit, quaestio, ita: I,

3/8). Quem libellum Tribunal aditum admisit die 8 mensis sequentis. Actrix tamen non prosecuta est causam eo tempore ob rationes vero quae haud clarescunt in actis.

4. Postea actrix, obtento divortio, adhuc cupiens resolveri quaestiones suas, die 6 Februarii 1984 iterum praesentavit novum libellum eidem Rev.mo Tribunali, idem matrimonium accusans nullitatis, at tunc ob defectum discretionis iudicii ex parte viri conventi («Ce mariage est nul parce que mon mari manquant du discernement et du jugement critique nécessaires pour prendre un si grave engagement que le mariage» I, 20). Collegio iudicante constituto (die 10 Februarii 1984 ... I, 31) et libello admissio (eodem die, *ibid.*), Tribunal edidit decretum concordationis dubii die 2 Martii 1984, et dubium his vocibus stabilivit: «Le mariage célébré 1969 en l'église de par Monsieur Titius P..... et Madam Caia O..... ne serait-il pas nul pour defectus debitae discretionis iudicii quoad matrimonium ex parte viri (I, 33)?».

Causa rite instructa per auditionem declarationum in iudicio utriusque partis necnon per excussionem septem testium, dubium iterum concordatum et decretum est die 4 Maii 1984 hisce sub novis terminis: «1) Est-ce que le mariage ne serait pas nul pour incapacité du mari à assumer les conjugales? 2) Est-ce que le mariage ne serait pas nul pour perturbation psychique de l'épouse (vaginisme)? 3) Est-ce que le mariage ne serait pas nul pour perturbation psychique de l'épouse?» Recte deinde nominata perita et relatione accepta ab illa, actis rite publicatis (die 30 Octobris 1984) et causa conclusa (die 8 sequentis mensis eiusdem anni), Tribunal decrevit suam sententiam defi-

nitivam die 4 Februarii 1985, actricis votis partim tantum faventem, seu affirmantem dumtaxat ad tertium caput allatum, reliquis capitibus negatione reiectis.

5. Causa deinceps rite transmissa est ad Tribunal Appellationis M..... et pertractata est ad normam c. 1682, § 2. Constituto collegio iudicante (die 22 Aprilis 1985), decreto promulgato de causa remittenda ad ordinarium secundi gradus examen (19 Octobris 1985), partibus notificatis, actrice iterum audita in iudicio et publicatis actis (die 27 Augusti 1986), idem Tribunal secundi gradus die 19 Novembris 1986 declaravit secundum caput tractatum in prima instantia non appellatum esse et suam decisionem definitivam pronuntiavit (I, 162), edicens: «Nous... avons décidé... d'infirmer la sentence appelée quant au chef de "perturbation psychique de l'épouse" - de confirmer la sentence appelée quant au chef de l'incapacité du mari à assumer les obligations conjugales" et de déclarer non-prouvée la nullité du mariage en cause» (I, 174f).

6. Nec adquevit mulier actrix quae, adhuc concupiens duplicem habere conformem sententiam litteris suis ad Exc.mum P. D. Decanum H. A. T. diei 22 Iulii 1987 rite interposuit appellationem rogavitque ut tractaretur in causa quaestio de inconsummatione huius matrimonii, et quaesivit nominationem advocati "ex officio". Turnus rotalis constitutus est die 7 Augusti 1987, et advocatus "ex officio", cl. advocatus rotalis A..... B..... nominatus est die 7 Octobris eiusdem anni. Instantia congruenter facta, idem Exc.mus Decanus die 25 Februarii 1989 concessit ut inspiceretur causa etiam ex capite inconsummationis³.

³ Legitur in *Nomis Sacrae Romanae Rotae Tribunalis* (apud

Dubium rite concordatum est hoc modo: «An constet de nullitate matrimonii in casu⁴; et quatenus negative: an consilium praestandum sit Ss.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato». Instructione suppletoria peracta, obtentis relationibus peritalibus, prima de allegata matrimonii inconsummatione, altera de adserta mulieris actricis incapacitate, testimoniis quibusdam credibilitatis obtentis, publicatis omnibus actis ad normam iuris, attente considerato restrictu iuris et facti pro parte actrice, sedulo perpensis animadversionibus S. Vinculi Defensoris ad hanc causam nominatim destinati, et omnibus in iure et in facto rite ponderatis, nostra cura hodie est ad dubium postremo formulatum dare responsum⁵.

AAS 74 [1982] 4, 490-517) quod sequitur: «Facoltà Straordinarie di S.E. il Decano della Sacra Romana Rota: Sua Santità Giovanni Paolo II nell'udienza del 26 luglio 1981 concessa all'Em.mo Cardinal Segretario di Stato si è degnata rinnovare e confermare a S.E. il Decano di questo Tribunale Apostolico, le seguenti facoltà straordinarie nei limiti e modalità qui appresso descritte: ... 2) Vedere subordinatamente "super rato et non consummato", a meno che sulla questione la S. Congregazione per i Sacramenti "manus iam apposuerit"».

⁴ *Normae Sacrae Romanae Rotae Tribunalis*, typis Poliglottis Vaticanis editae anno 1934, et adhuc vigentes (cf. AAS, 74 [1982] 4, 490-517, ad prooemium) sic praescribunt, p. 24 ad art. 77, §2: «In causis nullitatis matrimonii, sueta dubii formula est "an constet de matrimonii nullitate in casu"».

⁵ Ad lectoris commoditatem, «iter» causae brevius perstringitur uti sequitur:

Primum dubium in prima instantia (8/X/82): «ob incapacitatem viri conventi ad assumendas matrimonii obligationes».

Alterum dubium in prima instantia (6/II/84): «ob defectum discretionis iudicii ex parte viri conventi».

Tertium dubium in prima instantia (4/IV/84):

«1) Est-ce que le mariage ne serait pas nul pour incapacité du mari à assumer les charges conjugales?

In iure

7. Sententia primi gradus invalidum declaravit matrimonium in casu ob quamdam perturbationem psychicam partis actricis non ulterius definitam, nolens forsitan uti dispositionibus Codicis vigentis cum matrimonium in causa locum habuisset sub Codice vetere⁶. Tribunal appellationis via «exclusionis» vel

2) Est-ce que le mariage ne serait pas nul pour perturbation psychique de l'épouse (vaginisme)?

3) Est-ce que le mariage ne serait pas nul pour perturbation psychique de l'épouse?».

Sententia definitiva in prima instantia (4/II/85):

«Negative, seu non constare de matrimonii nullitate ex capitibus primo et secundo adductis;

Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate ob tertium caput, scilicet «perturbation psychique de l'épouse»».

Sententia definitiva in secunda instantia (19/XI/85):

Tribunal appellationis decrevit secundum caput concordatum in prima instantia appellatum non esse, et sententiavit non constare de matrimonii nullitate ex ullo adducto capite.

(Ergo, dubium primum habet hucusque duplicem conformem sententiam, dubium tertium e contra sententias diffformes).

Dubium in tertia instantia: «An constet de matrimonii nullitate in casu; et quatenus negative: an consilium praestandum sit Ss.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato».

⁶ Non obstantibus iis dictis superius (cf. nt. 4), Codex recognitus statuens legem universalem recitat, et merito, ad c. 1677, §3 C.I.C.: «Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matrimonii in casu, sed determinare etiam debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur». Huius normae opportunitas, ceterum obvia, apparet praesertim cum agitur de illis incapacitatibus tribus recensitis in c. 1095 C.I.C. vigentis. Nemo est quin noverit noscit quam difficilis interpretatu et applicatu sit ille canon, praesertim cum non definiatur incapacitas allegata secundum numerum cuiusque generis incapacitatis illic indicati, immo cum sensim sine sensu genera ista invicem inter se labi incipiant dum processus perficitur. Hac in re perutilis est arti-

«negationis» rem tractavit tamquam quamdam mulieris incapacitatem ad normam c. 1095, 3^o, rectius autumans sub dispositionibus illius canonis causam in praesentia tractari posse⁷. Quam viam et Iudices infrascripti aestimant sequendam esse.

culus Rev.mi Prof. URBANI NAVARRETE, «*Capita nullitatis matrimonii in Codice I.C. 1983: Gressus historicus versus perfectiorem ordinem systematicum*» in *Iustus Iudex: Festgabe für Paul Wesemann zum 75. Geburtstag von seinen Freunden und Schülern*, Essen 1990, 259-277.

⁷ «Revera, in applicando canonem 1095, licet scriptio istius canonis 1095 nova sit, et non absque difficultate concinnata, adhibetur iurisprudentia iugis et perennis Nostri Tribunalis. Exemplis sint: una c. Bruno diei 17 Decembris 1982:

«Invalidae proinde coniugium attentant:

«1) qui usu rationis et voluntatis sunt prorsus destituti: uti amentes et dementes;

«2) qui, etsi usu rationis non destituti, matrimonium sufficienter perpendere ideoque matureque eligere non valent, cum proportionata iudicii discretionem careant;

«3) qui gaudent quidem plena integritate intellectus, sed liberum actum voluntatis, quamcumque ob causam, sive temporaneam sive perpetuam, elicere praepediuntur;

«4) qui plena sanitate mentis et integra facultate determinationis praediti sunt, sed, ob gravem morbum physicum vel psychicum, inhabilitate laborant praestandi onera ab ipso matrimonio postulata. ...

«5) innumerae sunt abnormitates psychicae validum consensum matrimoniale praepedientes» (in Apostolici Rotae Romanae Tribunalis Decisiones seu Sententiae, vol. LXXIV [1982] 648f, n. 4);

necnon una c. Pompedda diei 25 Novembris 1978:

«Neque ad rem ambigendum est, iuxta probatam ac constantem N.O. iurisprudentiam, etiam extra verum morbum mentis, exstare posse conditiones psychicas tam abnormes ut contrahentes habendi sint reapse deficientes debita iudicii discretionem seu maturitatem ad consensum valide praestandum» (in Apostolici Rotae Romanae Tribunalis Decisiones seu Sententiae, vol. LXX [1978] 509, n. 2);

sed et una c. Davino diei 28 Aprilis 1983 (in Apostolici Rotae

Canon 1095 recitat: «Sunt incapaces matrimonii contrahendi: 1° qui sufficienti rationis usu carent; 2° qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda; 3° qui ob causas naturae psychicae obligationes matrimonii essentialia assumere non valent».

Ille canon recensere vult omnes nupturientes incapaces contrahendi matrimonium ob defectum consensus. Quapropter amplectitur eos qui usu rationis habitu non gaudent (1°), necnon eos qui carent discretionem iudicii matrimonio proportionata (2°). Iidem hucusque recensiti dicuntur incapaces matrimonii contrahendi quia egent facultate consentiendi ob quemdam intellegendi-et- decernendi defectum (sive radicitus tamquam in 1° sive in iudiciis recte componendis sicut in 2°, ita ut hi nequeant recte consentire, illi nequeant ullo modo consentire).

Romanae Tribunalis Decisiones seu Sententiae, vol. LXXV [1983] 198f, n. 2).

Etsi enim terminologia erat ante Codicem recognitum minus «uniformis», res erat eadem. Uti docet Rev. mus Prof. Urbanus Navarrete, «Ius canonicum, vestigiis iuris romani insistens, semper agnovit quasdam personas ob aliquam earum anomalam structuram organicam vel psychicam non esse capaces matrimonii ideoque a foedere coniugii valide ineundo esse ipso iure naturae exclusas. Doctrina praeterea et iurisprudentia diversa capita nullitatis, pro statu scientiarum, conata est individuae atque ad quasdam saltem categorias generales casus occurrentes reducere. Codex 1917, praesupponendo quidem dari personas quae incapaces sunt matrimonii, maluit nihil dicere de huiusmodi incapacitatibus ad matrimonium ineundum. Putavit sufficere principia enuntiare circa ea quae requiruntur ut exsurgat validum matrimonium, scientiae et iurisprudentiae relinquendo munus determinandi quanam personae de facto sunt orbae illis qualitatibus quae requiruntur ut quis validum foedus coniugale inire possit» (in «Capita nullitatis...», (cf. nt. 6), 267).

Sed canon amplectitur etiam eos qui quidem consentire valent, immo undequaque recte; attamen eorum quibus consentiebant nullo prorsus modo adferre possunt ullum effectum, scil. in 3^o. Nuptiarum tempore utique sincere promissa emittebant; sollemniter vota vovebant simul statuentes stare promissis et vota servare; tamen, ob quamdam causam, quam Legislator nominat «naturae psychicae», prohibentur, inhibentur, impediuntur ne promissa votave adimpleant assumendis obligationibus essentialibus matrimonii⁸.

His ultimis annis, omnes exquirebant lineam discriminis inter secundum et tertium numerum canonis 1095, forsitan non videntes quaestionem esse minus de distinctionis linea quam de mutatione adspetus seu «foci» seu «anguli ad cernendum» seu «loci ad videndum». Nam numeri 1 et 2 citati canonis respiciunt subiectum, personam, hominem consentientem, id est consensum actu facientem. Tertius autem numerus canonis 1095 potius respicit obiectum consensus praestiti, «corpus» consensus dati. Si consensus recte datus nihilominus est vacuus, privatus vel orbatus qualibet «materia» vel «re» vel «contento», ille consensus inefficax nuncupatur non ratione defectus sive rationis (1^o) sive discretionis (2^o), sed ratione defectus

⁸ Tamen, minime est oblivioni tradendum illud monitum in praelaudata sententia c. Davino: «Non sine causa semel iterumque edictum est constare de matrimonii nullitate ex capite defectus discretionis ob incapacitatem assumendi onera coniugalitatis. Incapacitas enim praestandi obiectum consensus secum trahit incapacitatem praestandi consensum (cf. Apostolici Tribunalis Rotae Romanae Decisiones seu Sententiae, vol. LXII [1970] 711, c. Fagiolo; *ibid.*, p. 969, c. Palazzini; *ibid.*, p. 1096, c. Fagiolo; vol. LXIV [1972] 17-19, c. Lefebvre; decis. diei 23 octobris 1979 et 27 Maii 1980, c. Agustoni)» (cf. Apostolici Tribunalis Rotae Romanae Decisiones seu Sententiae, vol. LXXV [1983] 212, n. 19).

obiecti: consentiendi forma adest, sed secumfert prorsus nihil, immo est proprio sensu vacua. Deficiente hoc discrimine, qui applicare volunt canonem 1095 fere semper incidunt in errorem quo incapacitas sive numerorum 1 et 2 sive numeri 3 aestimatur semper defectus consensus, et evadunt confusi inextricabiliter.

8. Ad normam c. 1095, 3^o ergo, qui nequit assumere obligationes essentielles matrimonii ob causam vel causas naturae psychicae est incapax contrahendi matrimonium «eo quod ea adimplere nequeat, obstante incapacitate saltem morali, quae in magna difficultate consistit» (cf. *Dilexit Iustitiam - Scripta in honorem Aurelii Card. Sabbatani*, p. 23). Principium secundum quod «ad impossibilia nemo tenetur» valebat a iure Romanorum (D. 50, 17, 185) per totum tempus iuris nostri (VI Decretalium, V, 12 de regulis iuris, n. 6) usque adhuc. In coetu studiorum habito pro Codice Iuris Canonici recognoscendo discussio habetur de hoc principio recepto in Novum Codicem tamquam proveniente ex iure naturali (in qua disceptatione clarum est discrimen inter hanc incapacitatem et illam consentiendi cf. *Communicationes*, 1975, 49-50)⁹.

⁹ Hac in re distinctio videtur sagaciter ferri uti sequitur in una c. Egan: «In causis nullitatis matrimonii propter rationes psychicas distinguatur oportet inter nullitatem ex defectu debitae iudicii discretionis et nullitatem ex incapacitate adimplendi necessaria onera coniugalia. Prior enim nullitas habetur quoties alteruter vel uterque nupturiens, quamvis idoneo praeditus sit usu rationis probeque sciat matrimonium esse «consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad prolem, cooperatione aliqua sexuali, procreandam» (cf. c. 1096, §1 novi Codicis Iuris Canonici), non tamen valet de conubio ineundo deliberare illo modo quem postulat negotium tanti ponderis ideoque caret illa libertate «interna» quam vocant, quae e tali dumtaxat deliberatione proficiscitur; posterior autem quoties alteruter vel uterque

9. Illae «obligationes matrimonii essentielles» eae saltem sunt quae respiciunt sive bonum coniugum et bonum prolis, bona ad quae ipsum consortium coniugale natura sua ordinatur, uti nos docet c. 1055: «Matrimoniale foedus, quo vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum, a Christo Domino ad sacramenti dignitatem inter baptizatos evectum est». Respiciunt insuper illas proprietates matrimonii quae nuncupantur essentielles, unitatem nempe et indissolubilitatem, uti dicit c. 1056: «Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in matrimonio christiano ratione sacramenti peculiarem obtinent firmitatem»¹⁰.

nupturiens, quamvis idoneis praeditus sit usu rationis, scientia naturae matrimonii, capacitate deliberandi necnon libertate, non tamen valet satisfacere oneribus quae necessario suscipiuntur cum in matrimonium consentitur eo uno modo quo quis potest in matrimonium consentire, videlicet, tradendo et accipiendo iure perpetuo atque exclusivo ad copulam coniugalem» (in Apostolici Tribunalis Rotae Romanae Decisiones seu Sententiae, vol. LXXVI [1984] 470, n. 2).

¹⁰ Illud «bonum coniugum» de quo loquitur c. 1055, §1, cum saltem aliquibus videatur aliquid novum adiungere bonis «traditionalibus» a S. Augustino recensitis, scil. bonis fidei, prolis, sacramenti (etsi aliis coniugum bonum est tantum summa trium bonorum, prorsus nihil plus). Indicanur in sequenti citatione et aliae considerationes quae fieri debent hac in re: «Nullum autem matrimonium contrahit propter incapacitatem assumendi onus quod bono coniugum respondent nupturiens qui, ob gravem anormalem aut psycho-sexualem (v.gr. homophiliam, sadismum) aut personalitatis (...) comparti tradere non valet ius ad talem agendi modum quo ipsa inveniat suum complementum psycho-sexuale specificum veri coniugis, ne quidem quoad substantiam, quamobrem coniugale consortium fit saltem moraliter impossibile... Hodiernus personalismus exigere videtur ut praeter bona prolis,

10. Uti docemur in iurisprudencia H. A. T.: «Nullum autem matrimonium contrahit propter incapacitatem assumendi onus quod bono coniugum respondet nupturiens qui, ob gravem anomaliam

— *aut* psychosexualem (v.gr. homophilia, sadismus)

— *aut* personalitatis (v.gr. Personalitas Paranoïde: cf. una c. Serrano diei 5 Aprilis 1973 in Sacrae Romanae Rotae Decisiones, LXV [1973] 383 ss.; vel Personalitas Antisocialis: cf. una c. Pinto diei 20 Aprilis 1979 in *Monitor Ecclesiasticus*, 1979, 383 ss.), parti tradere non valet ius ad talem agendi modum quo ipsa inveniat suum complementum psychosexuale specificum veri coniugis, ne quidem quoad substan-

fidei et sacramenti, coniugum bonum pariter agnoscatur, servata huius naturali ordinatione ad prolem» (c. Pinto diei 27 Maii 1983 in *Monitor Ecclesiasticus* 1985, 329-330, n. 4). Etenim «inhabilis ad matrimonium habetur nupturiens qui nequit constituere sanam relationem interpersonalem: nempe, incapacitas adsumendi obligationes essentielles comprehendit quoque illam vitae intimam communionem quae consistit in donatione duarum personarum ad invicem; attamen, illa tantummodo utpote ius ad ipsam communionem intelligi et haberi potest obiectum substantiale foederis coniugalis» (c. Ewers, diei 4 Aprilis 1981, in *Monitor Ecclesiasticus* 1981, 297, n. 7). Verumtamen «bonum coniugum» vel «consortium totius vitae» non idem sunt atque humana coniugum felicitas vel perpetua felix cohabitatio. Humana infelicitas saepe inveniri potest in genuina perfectaue coniugali vita et partium separatio, manente vinculo, ab ipsa Ecclesia possibilis habetur (cf. c. 1151 et sq.). Etenim «relatio matrimonialis non est ita cum exitu suo confundenda ut coniuges qui nequeunt certum quemdam gradum felicitatis conubialis vel «perfectionis» propriae vel «satisfactionis» mutuae assequi, statim existimentur oporteat inhabiles ad ipsam relationem valide constituendam» (c. Egan, diei 9 decembris 1982 in *Ephemerides Iuris Canonici* 1983, 132, n. 7) (c. Huot, in Apostolici Tribunalis Rotae Romanae Sententiae seu Decisiones, LXXVIII [1986] 503, nn. 17-18).

tiam, quamobrem coniugale consortium fit saltem moraliter impossibile» (cf. una c. Palestro diei 26 Novembris 1986, in Apostolici Tribunalis Rotae Romanae Decisiones seu Sententiae, LXXVIII [1986] 667, n. 7; cf. etiam una c. Annè diei 25 Februarii 1969 in Sacrae Romanae Rotae Decisiones, LXI [1969] 175 ss).

11. Defectus vel vitium de quo agitur insuper debet actum consentiendi antecedere. Etiam si incapacitas in casu comprobata erat post nuptias, debuit procedere ex causa quadam quae ipso nuptiarum momento exsistebat, et cum «omnia requisita ad gignendum incapacitatem iam tunc verificabantur»; id est, «contrahentem incapacem fuisse momento celebrationis matrimonii tunc solum constabit cum demonstratur talem fuisse ante nuptias et post eas, eo vel magis quod agitur de incapacitate psychica quae potuit esse mere praenuptialis vel postnuptialis. Incapacitas momento celebrationis nuptiarum existens, quae assumptionem obligationum perpetuarum impedit, non illo momento insperato oritur; si prius non erat nec momento illo aderat» (cf. praelaudata decisio c. Palestro, *ibid.*, n. 8)¹¹.

¹¹ Cf. etiam in una c. Pompedda: «Quod vero attinet ad incapacitatem adsumendi obligationes, certo certius confundi nequit infelix matrimonium cum matrimonio nullo, neque pariter effectiva obligationum adimpletio cum capacitate easdem adsumendi. At longe sumus a despiciendo criterio causalitatis, adeo ut in eiusmodi casibus occurrentibus a factis certis ascendere omitteremus ad causas eorundem; causae autem non adimpletionis nonnumquam matrimonium valide celebratum subsequuntur, aliquando non incapacitati sed voluntatis defectui tribuendae sunt, semper autem inveniri debent, ad effectum de quo, ante initium connubium et ex constitutione contrahentium enascentes. Vel heic gra-

12. Numquam autem licet colligere «quamcumque abnormitatem indolis, v.gr. in re “intercommunicabilità” — ut hodie solet frequenter adduci — vel huiusmodi, derivari posse vel reduci ad insaniam quae validitatem vinculi destruat» (cf. una c. Davino diei 28 Aprilis 1977) nam, uti monemur in una c. Annè diei 25 Februarii 1969, «causas matrimoniales ob huiusmodi caput cautissime et cum rerum personarumque adiunctorum diligentissima investigatione esse tractandas; ne istiusmodi causarum tractatio speciem rescissionis vinculi potius quam eiusdem declarationis nullitatis prae se ferat». Itaque, «prae oculis habendum est non quemlibet defectum sufficere ad matri-

vissima superest quaestio, nempe de determinandis illis matrimonii obligationibus quae vere essentiales habeantur; quod, ni fallimur, duplicem aspectum complectitur. Imprimis etenim distinctio dieri debet inter obligationes, quae revera essentiales sunt, ab aliis quae complementum tantummodo seu accidentale qui constituunt in foedere connubiali quae nempe non ad esse rei pertinent, potius autem ad bene esse; quae scilicet faciliorem efficiunt executionem obligationum, sine quibus attamen capacitas permanet, ne absoluto quidem sensu, sed moraliter id est attentis viribus humanis hominis quidem hic et nunc contrahentis matrimonium. Exinde passim adhibita distinctio, hac in materia, inter veram impossibilitatem et meram difficultatem. Alter insuper adspectus perpendi debet, quo doctrina et forensis interpretatio congruat cum textu et contextu canonis: definitis scilicet singulis obligationibus, e foedere coniugali descendantibus, in iisdem distingui debet id quod ad substantiam pertinet a ceteris quae essentiae superadduntur. Neminem etenim latere poterit, si paulisper ad rem ipse suam apprime mentem vertat, duplex bonum ad quae naturalis sua indole foedus matrimoniale ordinatur, nempe bonum coniugum et bonum proles (cf. cit. c. 1055, §1), tantam significationis et effectationis altitudinem in se continere quantam exprimere valeat creatura rationalis, vel fidei luce supernae perfusa, qui est homo» (in Apostolici Tribunalis Rotae Romanae Decisiones seu Sententiae, LXXIX [1987] 12, nn. 6-8).

monii nullitatem declarandam, sed tantum debere esse, qui contrahentem liberae electionis peragendae vel trium bonorum essentialia onera assumendi incapacem reddat» (cf. una c. Pinto diei 8 Iulii 1974, n. 4).

Uti legitur in una c. Di Felice diei 8 Martii 1975: «Dupliciter vero invenitur in homine incapacitas ad vitae communionem coniugalis: vel afficit personam, imminutam peculiari statu physico et psychico certe requisito ad valide contrahendum; vel tantum pendet ex levibus vitiositatibus indolis, quae perfici ac in melius converti possunt. Prior status personae saepe connectitur psychonevrosibus vel psychopatiis atque includit ineptitudinem veluti constitutionalem ad onera coniugalia implenda atque servanda... Ideo haberi potest inhabilitas naturalis ad validum eliciendum consensum ex gravibus anomaliis psychicis; quibus nupturiens totalem sui corporis et animi traditionem alteri parti tradere non valet... Altera conditio personae, pendens ex levibus vitiositatibus indolis, tantummodo plenam ac perfectam consuetudinem vitae coniugalis impedit, quae tamen futuro tempore perfici potest, cum vitiositates illae sint emendabiles et sinant coniugibus pleniorum unitatem vitae in dies adipisci, iuxta relata verba Const. *Gaudium et Spes*, n. 48» (in SRRD LXVIII [1985] 89).

Ne oblivioni praeterea dentur quae leguntur in una c. Stankiewicz diei 26 Novembris 1987: «Deinde apta distinctio facienda est inter *capacitatem* habendi *minimam relationem interpersonalem*, matrimonio propriam atque sufficientem ad valide contrahendum, et *capacitatem* assequendi *relationem interpersonalem maturam, integram ac plenam*, quae felici faustaeque communioni vitae inter coniuges cavere valeat. Hac enim distinctione admissa, graves quoque confusiones vitari possunt, quibus ministerium iustitiae ecclesialis

in causis matrimonialibus haud tam raro turbatur, confusio scilicet inter veram incapacitatem nectendi relationem interpersonalem et meram difficultatem in eadem relatione prospere progrediendi, et quod consequitur, confusiones inter matrimonia invalida ob incapacitatem instaurandi minimam relationem interpersonalem coniugalem et matrimonia infausta ex incapacitate contrahentis habendi relationem interpersonalem maturam, integram ac plenam» (cf. etiam una c. Stankiewicz diei 22 Maii 1986)¹².

¹² Semper mentione dignissima est et esse debet, tamquam interpretatio maximae auctoritatis de incapacitatum effectu in valorem consensus matrimonialis, illa allocutio Summi Pontificis Ioannis Pauli II Praelatis Auditoribus Rotae Romanae habita die 5 Februarii 1987, qua Romanus Pontifex perspicua claritate docuit: «Per il canonista deve rimanere chiaro il principio che solo la *incapacità*, e non già la *difficoltà* a prestare il consenso e a realizzare una vera comunità di vita e di amore, rende nullo il matrimonio. Il fallimento dell'unione coniugale, peraltro, non è mai in sé una prova per dimostrare tale incapacità dei contraenti, i quali possono aver trascurato, o usato male, i mezzi sia naturali che soprannaturali a loro disposizione, oppure non aver accettato i limiti inevitabili ed i pesi della vita coniugale, sia per blocchi di natura inconscia, sia per lievi patologie che non intaccano la sostanziale libertà umana, sia, infine, per deficienze di ordine morale. Una vera incapacità è ipotizzabile solo in presenza di una seria forma di anomalia che, comunque si voglia definire, deve intaccare sostanzialmente le capacità di intendere e/o di volere del contraente» (in *L'Osservatore Romano*, 6 febbraio 1987, p. 5, n. 7).

In tota hac re de incapacitate, videntur inter tot difficultates tres «errores» qui res prorsus obscurant et offundunt.

Primo, tot sunt qui praetereunt dictionem primam canonis 1095: «Sunt incapaces matrimonii contrahendi: ...» Totum id quod statui debet dein se refert ad momentum contrahendi, paciscendi, consentiendi. Omnium quae antecesserunt enarratio eatenus utilis est quatenus ostendit ea ita effectum certum in consentiendi actum habuisse certum ut ille redderetur inefficax. Omnium quae successerunt enarratio tam utilis est quantum ostendit

13. Cum quaestio in praesenti sit de affirmata actricis deordinatione indolis quae «histrionica» vel «hysterica» nuncupatur (nomina duo quae idem valent), oportet hic recitare aliqua de iurisprudentia N. A. F. de hac indolis deformitate:

Legitur in una c. Pinto diei 19 Decembris 1986:

«*Hysteria*, tamquam femineus morbus inde ab Hippocrate nota, quae uti neurosis utriusque sexus sed praevalenter muliebris in suo apogeo inveniebatur in altera medietate saeculi XIX “avec Charcot, ses minutieuses descriptions et ses présentations spectaculaires de la Salpêtrière”, nunc ad psychiatriae historiam pertinet. Detecta enim vera ipsius natura a Babinski (Bulletin de la Société des Hôpitaux de Paris, 1908; La Semaine médicale, 1909), haud consideratur “un malade au sens nosologique du mot, une entité clinique autonome avec ses constances étiologiques, symptomatiques et évolutives. Il n’y a, sous cette rubrique, qu’un amas de faits disparates et qui n’ont qu’un trait commun: leur caractère artificiel, base insuffisante pour asseoir une entité morbide” (A. Po-

ea processisse tamquam effectus illius defectus iam tempore consentiendi existentis.

Secundo, tot sunt qui praetereunt vocem *gravi* in numero secundo eiusdem canonis. Homines fere omnes patiuntur de die in diem defectus quosdam discretionis iudicii, quos sperant minores remanere. Canon loquitur de incapacitate alicuius qui e contrario patitur defectus discretionis iudicii tanta gravitate ut consentiendi actus nequeat esse congruens, proportionatus matrimonio. Electio aliis verbis matrimonii fit extra omne iudicium adaequatum de iis omnibus iuribus et officiis matrimonialibus essentialibus quae sunt obiectum permutationis inter nupturientes consensum in matrimonium daturos.

Tertio, tot sunt qui confundunt matrimonium infaustum, infelix, imprudens, imparatum cum matrimonio invalido.

ROT, *Hystérie*, in *Manuel alphabétique de psychiatrie*, 1975, 328-329). Ideo eidem haud applicantur nomina (hysteria, histerismus) sed adiectiva (symptomata hysterica, tractus vel accessus hysterici, personalitas vel neurosis hysterica)».

14. Apud «*Diagnostic and Statistical Manual of Mental Disorders*, 3rd ed., Revised», quod communiter denominatur *DSM-III-R* (Washington 1987), haec indolis deordinatio ita describitur:

«301.50 *Histrionic Personality Disorder*

The essential feature of this disorder is a pervasive pattern of excessive emotionality and attention-seeking, beginning by early adulthood and present in a variety of contexts. In other classifications this category is termed Hysterical Personality.

People with this disorder constantly seek or demand reassurance, approval, or praise from others and are uncomfortable in situations in which they are not center of attention. They characteristically display rapidly shifting and shallow expression of emotions. Their behavior is overly reactive and intensely expressed; minor stimuli give rise to emotional excitability. Emotions are often expressed with inappropriate exaggeration, for example, the person may appear much more sad, angry, or delighted than would seem to be warranted. People with this disorder tend to be very self-centered, with little or no tolerance for the frustration of delayed gratification. Their actions are directed to obtaining immediate satisfaction.

